



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CHRISTIFIDELES DIOECESIS** BEATA MARIA VIRGO
TITULO «MATER ECCLESIAE» INVOCATA
PATRONA PRINCIPALIS, ATQUE SANCTUS ADALBERTUS,
EPISCOPUS ET MARTYR, PATRONUS SECUNDARIUS
APUD DEUM DIOECESIS LICCANENSIS CONFIRMANTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Christifideles dioecesis
Liccanensis, a Nobis die XXV mensis Martii anno MCMXCII constitutae per Litteras Apostolicas «Totus Tuus Poloniae
populus» peculiari cultu prosequuntur beatam Mariam Virginem titulo «Mater Ecclesiae» invocatam, ad quem
obtinendum Polonici Praesules in Concilio Oecumenico Vaticano II congregati multum sane contulerunt, necnon sanctum
Adalbertum, qui Patronus est Varmiensis archidioecesis, e cuius magna parte eadem nova Ecclesia est efformata. Qua
re Venerabilis Frater Adalbertus Ziembka, Episcopus Liccanensis, communia cleri populique vota excipiens, electionem
beatae Mariae Virginis titulo Mater Ecclesiae invocatae in Patronam principalem atque sancti Adalberti in Patronum
secundarium apud Deum dioecesis suae rite peregit, itemque petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede
confirmaretur. Nos vero enixis eius Venerabilis Fratris precibus libentissimo obsecundantes animo, comprobatis iis, quae
Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra
potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo «Mater Ecclesiae»
invocatam Patronam principalem, atque sanctum Adalbertum, episcopum et martyrem, Patronum secundarium apud
Deum dioecesis Liccanensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de
Patronis constituendis indicantur (AAS, vol. LXV, 1973, 276-279). Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose
serventur suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non
obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno MCMXCIII,*
Pontificatus Nostri quinto decimo. IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana
